



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Qualiter Deus perfectos inflammet. Cap. xxvj.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

super eum Dei gloria. Illuminavit eius mentem scientiam fulgore cognitionis diuinæ.] Hæc Dei gloria, iste diuinus fulgor perfectorum animas sapientia imbuīt, qua & sibi, & aliis sapiunt, & non oscitando, & sterendo, sed festinando, & volando viam altissimam virtutis arripiunt. Tuscis Domine, quia aliquos istorum homines idiotas, & ignaros vidi, & te donante non sine admiratione auscultavi, quorum ignoratiā, & ruditatem ex toto corde meis literis, & studiis prætuli. Quia quas ego diuitias verbis & scriptis euolui, illi possident, & quod ego de vera sapientia, & perfectione cogito, & nūquam attingo, ipsi voluntatis repositorio sibi recondunt, & manibus sanctissimæ vitæ perficiunt.

Lux ista perfectis data, non tantum cælestia mysteria detegit, sed diuinæ dispositiones fururas reuelat, & quæ longa post tempora euentura sunt, aliquādo prædictæ. Nam si lex amicitia est, vt inter amicos sint corda patentia, Dominus, qui viros perfectos ad intimam familiaritatem admittit; ab hac se lege non eximit, & in his, quæ decent, sui cordis secreta, ab illis minimè abscondit. Num, inquit, celare poterat Abraham, quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terra? ] Ac si diceret nō debeo tam fidelem amicum celare, quod facturus sum, ut iniquitates Sodomorum & Gomorrhae rorū puniam, & eorum vrbes subuertam. Hanc legem Dominus non solùm cum isto patre creditum, sed cum aliis quoque perfectis sapientia seruauit, dum eis multa arcana vel ad ipsos pertinentia vel ad aliorum, aut Ecclesiæ salutem spectantia detexit. Hunc sui obitus diem & horam edocet, illi suum perfectionis statum, ac prædestinationem reuelat: istum de iis, quæ agere, aut dicere, aut omittere debeat, certiore facit: alius quid ad salutem proximorum vrile sit, aut quid exitium allaturum, ac tandem, quid prosperitatæ, aut calamitatis sit Ecclesiæ venturum, prædicat. Quæ omnia facilissima erit, sed prolixum admodum, exemplis antiquis, atque recentibus confirmare. Ideoque Eliezeus à Sunamite quisitus & inuenitus, ut filij suscitionem obtineret, dixit ad puerum suum eam à sancti viri pedibus amouentem: dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. ] Ac si dixisset, non solet Dominus huiuscmodi eventus à me celare, & quæ est, in mihi commendatis facturus abscondere. Quare sicut Ionathas Davidis querelas audiens, quibus Saulis ingratitudinem, & odium accusabat, dixit ei: Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quicquam grande, vel parvum, nisi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit à me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud. ] Ita perfecti, filiorum Dei induentes affectionem, aliquando sine villa superbia nota protestantur, Deum, quem Patrem agnoscunt, nihil in aliquo negotio esse facturum, nisi prius illos in ea re necessaria doceat, & de iis, quæ oportet, erudit. Facile enim & consuetum est illi seruos suos nutantes, & velut in ancipi positos, eiisque voluntatem audiē queritantes, aut per Scripturam, aut doctrinam, aut per internam inspirationem de dubiis instruere. Dicant ergo perfecti, quod locutus est Abias ad acies Ieronimianas: Est apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, ut accendatur semper ad vesperam: nos quippe custodiimus præcepta Domini Dei nostri. ] Hæc profectò causa est, ob quam apud se candelabrum habent aureum, eiisque lucernas, quia Domini mandata custodiunt. Custodia enim mandatorum mentem nostram edocet, & à cæcitate vindicatam radix

Gen. 18.

4. Reg. 4.

1. Reg. 20.

2. Par. 13.

A splendoris illustrat. Nam si declaratio sermonū illuminat, & intellectum dat parvulis, ] quæ magis mandatorum executio illuminabit, & parvulos, id est, humiles, luce perfundet candelabrum vero, quod habent hi mandata Domini custodiens, lux est supernaturalis, quæ in Dei tabernaculo, id est, in anima sibi perfectè dicata colueret. Istud candelabrum non vna tantum, sed multis lucernis constat, quia multa Dei arcana reuelat, & multarum virtutum pulchritudinem monstrat. Quas lucernas tunc non solùm in mete, sed in manibus tenemus; cùm iuxta id, quod cognoscimus, virtutum opera actione cōplemus. Iste sunt lucerna ardentes, inquit Ambrosius; quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra tua membra Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit. Si vis ergo istud candelabrum apud te habere, si cupis eius lucernas possidere, si desideras hoc lumine inextinguibili illuminari, illud non tam à libris, ab argumentis, à disputationibus petas, quæ in perfecta vita, & sancta conuersatione conquiras. Huic namque tamquam cœlo purissimo, in quo Dominus commoratur, lux perpetua promissa est, quæ hic mentes sanctorum instruit, illuminat, extra se rapit, & post hanc vitam in lucem ineffabilem commutata, Dei faciem, quæ nostra beatitudine est, animæ luminibus obiicit.

Psal. 118.

Ambr. in  
Psal. 118.  
ferv. 14.

## C Qualiter Deus perfectos inflammat.

## CAP VT XXVI.

**V**idimus quo pacto diuinæ prouidentia sol, radiis suæ lucis perfectos illuminet, nunc videamus qualiter eosdem ardore perfectæ charitatis inflammet. Quod accepta similitudo à corpore igne, cùm aliquod combustibile adurit, nobis satis exponet. Consideremus enim ignem inter ligna viridia & humida positum, qui in ea suum ardorem generare miratur. Certè in illis lignis, quoniam minus sunt apta atque disposita, non pulcherrimam flammam, sed atrum fumum, sed lignorum quasi gementium stridorem, sed aqueum humorem exsuscitat. At cùm iam sunt arida, & sicca, & velut calore vixta, & ignis potestati subiecta, tunc fumus cessat, strepitus silent, gelidus humor fugit, & intimus ardor, pulcher splendor, & flamma efficacissima suscitatur. Mittamus nunc iniquos homines, quos nomine glacie, & gelu, Gregorius signatos intelligit, cùm Dominus ad Iob ait: De cuius vtero egredia est glacies, & gelu de coelo quis genuit? Hi enim ab vtero Dei, hoc est, ab eius creatrice potentia egrediuntur, non impij, sed boni: illi vero seipso impios fecerunt, & in similitudinem aquæ cōgelaræ durarunt. ] Mittamus, inquit, illos, & solos viros iustos sermonem tractemus. Hi profectò in lignis imputribilibus & frugiferis signati sunt, quæ sancta Ecclesia tamquam bona, & fecunda terra produxit. Et ut modo de illis, non quatenus hortum Ecclesiæ ornant, sed quatenus applicant igni, eloquuntur, ipsa sunt ligna iuxta Ambrosium, quæ Elias super altare composuit, & secundum figurā vnda salutari respergit, ut ea ignis de cœlo delapsus exureret. Ipsa sunt ligna, quibus sacerdos Christus igne Charitatis enutriet, & holocausta perfectarum mētiūm in honorem summi Dei adolebit, atque consumeret. Horum lignorum quedam humida, & minus ad ardorem suscipiendum disposita; quædam arida, & ad ignem apta reperies. Ligna humida;

Iob. 38.  
Greg. 29.  
mor. 6. 15.3. Reg. 16.  
Ambro.  
li. de He.  
lia. c. 22.  
Leuit. 6.

atque

Lucas 23.

atq; viridia iusti imperfetti sunt, quos imperfectionum humor aqueus, & ignavia frigus à debito calore repellit. Ligna verò arida, & secca sūt iusti perfecti, quorum qualitas eos igni charitatis admittendo aptissimos efficit. Nec mira, quod Saluator noster scipium ligno viridi, & peccatores lignis aridis, comparauerit, dicens, Quia si in viridi ligno hac faciunt, in arido quid fieri] iusti enim sunt ligna viridia, si pulchritudinem illorum videas, si odorem bonum aduersas, si studiosorum operum fructum consideres. In iusti autem sunt ligna arida, si ipsorum deformitatem, si fanorum operum, velut filiorum orbitat, si foliorum & florum, id est, bonarum cogitationum, & piorum desideriorum nuditatem apicibus. At contraria ratione illi ligna arida, & isti ligna humida sunt, quia perfecti igni charitatis admoti, sine ullo labore, aut difficultate ardent: imperfetti verò caligine suarum imperfectionum fumant, & inconditō sono sine crepitu defectuum stident.

Sicut itaque viri perfecti, sicut ligna arida, & secca: atida, quia mortificationis dono concupiscentiae humore liberantur, & secca quoniam assida exercitatione virtutum ad recipientum charitatis ardorem apta ac disposita redduntur. In intimo istorum lignorum Deus noster inhabitat, qui confumenti igni scipium assimilat. Ideoque Moses ait: Dominus Deus tuus ignis consumens est.] O pulcher ignis! o vitalis ignis! o efficax ignis, qui in puris mentib; foeda collutatur: frigida fons, & quicquid impurum est efficacissime destruit. De quo sapienter dixit Bernardus: Ignis, qui Deus est, consumit quidem, sed non affigit: ardet suauiter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in virtute exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat uincionis.] Ad hoc autem significādam, apparet Dominus ipse Moysi in flamma ignis, de medio rubi, que rubrum quidem nō comburebat, sed tantum inflammat.] Nā ipse talis est ignis, ut cuiusvis iniquitates, & imperfectiones nostras exurat, nos verò integros iniuolat, & relinquat. Quā ob causam vocatur ignis consumens, non quid sanctos absumerat, sed quid eorum defectus destruat: non quia operet ad consumptionem bonorum, sed quia indignatione in suam ostendat in punitione iniquorum. Non solet consumere ignis iste, inquit Ambrosius, nisi sola peccata. In retributionibus quoque metitorum colligimus diuidi ignis naturam, ut alios illuminet, alios exurat: illuminet iustos, exurat impios. Non eisdem, quos illuminat, exurit, & quos exurit, illuminat: sed illuminatio eius inextingibilis est, ad perfusionem bonorum, exustio vehemens ad supplicia peccatorum.] In igne Dominus apparet in monte Sinai, ut legem ferat, & specie terribilis, & comminationibus, atque portentis dura cervicis populum ad excipiendam, & custodiendam legem inclinet. In lampade ignis trahit inter cadaverum divisiones, quas eo iubente, Abraham ad sacrificium offerendum disponit, ut ipso Domini transiit pactum dandæ terra promissa firmaret. Et oculi eius sunt sicut flamma ignis,] quæ bonos ipsos aspectu in se conuertat, malos exterreat: istos indignatione puniat, illos sua efficacitate confirmet. Quare Dominus toties se in specie corporalis ignis ostendit, nisi vt sciamus cum esse spiritualem ignem, qui nostras animas illuminet, foneat, & mandet, in se conuertat, & secundum mores, & opera in melius ac præstantius esse, transfundat. Si ergo sancti & perfecti homines sunt ligna secca, & arida, id est, ad suscipiendum ardorem charitatis valde disposita, & Deus est ignis immensus, & infinitus, ac nullis impedimentis obnoxius, quid putas faciet hic ignis talibus lignis admotus, vel

Deut. 4.

Bern. ser. 57. in cāt.

Exod. 3.

Amb. lib. 4. exame. c. 3.

Exod. 19.

Gen. 15.

Apoc. 2.

A (vt verius dicam) visceribus eorum inclusus? Quomodo perfectos illuminabit, quomodo calefaciet, quomodo accendet, quomodo inflammabit, quomodo exuret, quomodo eis suas perfectiones communicabit, quomodo in se conuertet, & transformabat, quomodo tandem ipsis integris, pulchris, & liquefactis permaneturibus (sicut aurum in fornace) omnes eorum fordes, seorsamque consumet. Inflammat quidem Deus perfectos suos, qui amore ardent, desideriis exstuant, & maiori imperu quam dici possit, in omnia bona adimplenda feruntur. Velles tamen intelligere tum naturam, tum qualitatem huius ardoris, quid in perfectis possit, quid interior & exterior efficiat, quid in alios calor, & ardoris deruet, & quousque sua potentia signa producat. Id quidem facile intelliges, si aut sanctorum vitas penitulatæ legas, aut si aliquem virtutum perfectum agnoscas, & eius conuerstationem, non ut eum indices, sed ut ab eo discas, attente consideres. Interim tamen hi sermones mei tibi uicunque satisfaciant, & hominum ardorium, & ignitorum, id est, perfectorum ardores suauissimos, & flamas exponant.

Ignis ille increatus, qui Deus est, in his hominibus ad suscipiendum ardorem, seu ignem recte dispositis, ignem creatum perfecta charitatis immittit. Si enim noster ignis cum materialia ligna comburit, non tam scipium lignis attribuit, quam aliam ignem sibi omnino similem ex illis producit; in hoc similitudo maneat, quid Deus non solum scipium iustis communicat, ex eo quidem in ipsis inhabitat, sed etiam alium ignem a se distinctum, numerum ignem charitatis in illis prospicit. De quo David ait: Ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.] Nam in presentia eius, qui ignis non factus est, aliis ignis factus charitatis accenditur, quo homines inflammantur, ante aduentum huius ignis atrii, & frigidii, & post aduentum eius, ardentes, atq; formosi. Vnde Augustinus hunc intellectum indicans, ait: Qui iam mortui erant, deserti ab igne boni desiderij, a luce iustitiae, & frigidii, tenebrosumque remanserant, rursum accessi, & illuminati reuixerunt.] Hunc ignem præcepit Dominus, ut semper coram ipso conserues accepimus. Idque significant illa Legitimi verba: Ignis in altari meo semper ardebit.] Quos namque hoc Domini altare figurat, nisi perfectos, & sanctos, ut putat Origenes, qui non humili & abiectam ducunt vitam, sed excellam, & puram, in quibus perabegationem assiduam, & languis effunduntur, & caro crematur arque consumuntur:] Et quis est iste ignis, qui semper in altari debet ardere, nisi ignis charitatis est cœlo, hoc est, ab increato illo igne delapsus, qui ardet ut mæcula thura orationis, & optimæ hymnata desideriorum adoleat, & quod carnale est, & animale consumat. Iste igitur ignis charitatis, in membris perfectorum principio cunctos defectus, & imperfectiones exurit, & si millies pullulent (quod in hac vita commune est) millies in illas defixit, & ardoribus amoris inflamat. Quod per tropum variacionis est Isaías, dum ait: Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguis eius tenacitatem, & subrū gloria eius succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & sanctos eius in flamma, & succendetur; & deuorabit spina eius, & vepres in die una.] Pinguis enim animæ sunt magna crimina, in quibus mittit Dominus tenuitatem, cùm ea in spiritu contritionis destruit, & spiritus sancti ardore penitus deler. Quæ verò subtilis gloriam latent, sunt levia peccata, quæ sepe vanis praetexibus obtenduntur, & virtutum aut placiditatis coloribus excusantur,

Psal. 17.

Aug. ibi.

Leuit. 6.

Origo b. 1. in Leuit.

Isaie 10.

B

hæc verò ardebunt etiam, & vi amoris disficiuntur, & dissipabuntur, quasi combustio ignis, Christus autem, qui lumen est Israhel, erit in igne, quia per charitatem ignem vniuersa iustorum mala devorabit. Et sanctus quisque erit in flamma, quoniam inflamatus hoc igne, gratiaque suffultus, spinas defectum, & vepres imperfectionum succenderet, ita ut vel ad diem vnam, id est, ad horam vnam, vel morulam vnam, nihil penitus in eo veteris Adæ remaneat. Bonum ictus diei vnius, nimurum morulae vnius est, cum anima in contemplatione posita, & amoris igne succensa, cunctos suos hostes adurit, & vniuersos inimicos, hoc est, defectus, interficit. At conuersatio ista mortalis post paululum recentes nauos contrahit, & nouis defectibus subest, quos oportet nouo charitatis baptismi ablui, nouoque furore deleri. Non solùm autem ignis iste defectus adurit, verum etiam, (quod mirabilius est) penè desideriorum, & concupiscentiarum ignem extinguit. Et ignis igne non crescit, sed igne minuitur, igne extenuatur, & igne charitatis penè omnino consumitur. An non tres illi viri ligati, & in fornacem Babylonis conieci, vinculis eximuntur, & calorem, aut odore ignis non sentiunt? Prorsus ita. Nâ & ipse hostis eorum ait: Ecce ego video quatuor viros solutos (quartus autem erat Angelus Domini) & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptiovis in eis est. ] Consilarij quoque regis, qui in virtus sanctorum mortis sententiam tolerant, contemplabantur illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitum eorum non esset adustus, & sarabala eorum non sufficere immutata, & odor ignis non transiisset per eos. ] Quis ergo ignem colligauit, quis ignem tenuit, quis ignem consopiuīt, ne pueros illos simplicitate, & viros constantia, & fortitudine in fauillam redigeret? Prorsus alius ignis, ille scilicet Dominus, qui inter ipsos consistens eorum animas fidei lumine collustrabat, & ardore charitatis succendebat. Nonne vides, quod ignis ignem destruxit, & flammaflammam dissipavit, & ardor ardorem refrigeravit, atque consumpsit? Ita ignis diuinus amoris intus ardens, ignem concupiscentiae vincit, ne iustorum corpora motibus impudicis adurat, ne capillos sanctorum cogitationum absument, ne vestes solidarum virtutum destruant, & ne sui odorem in charitate accenflos, sive amore adustos, spargat. Hac sunt trophya ignis celestis, haec victoriae charitatis, quas de nostra concupiscentia à se victa reportat. His homo, illius est, quām à vniuersum orbem suo imperio subigeret, quia seipsum imperio virtutis subdit, & capiūs factus amoris, & perfectionis seruus computatus, concupiscentiae iugum frangit, & peccati captiuos ac seruiturem evertit.

Postquam verò ignis charitatis, omne sibi aduersum in mente perfecta contrariū consumpsit, tunc liberè & efficaciter vim suam in illâ tamquam in materiam penitus subiectam exercet. Liquefacit ergo perfectam animam, quam ante perfectionem aduentum duram, & protervam inuenierat. Si enim sola vox sponsi emollit: vnde sponsa ait: Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est, ] quidnā ad vocem, id est, ad internam inspirationem, nō iam solā, sed caloris, & ignis immisione comitatum ipsa liquefacta? De qua voce dictum est: Ignitum eloquium tuum vehementer. ] Et rursus: Eloquium Domini inflammavit eum, ] scilicet Ioseph, quem non tam rex, quām hæc flamma dissoluit, & principem Egypti constituit. Huius mutationis, qua anima ex duritate in suavitatem conuertitur, indices sunt abundantes lacrymae, in quas cor penè totum resoluitur. Dum enim Christus, ut Gregorius ait, se per spiritum

A suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat, & intus miretur, quid fuerit, & quid factam subito seipsum videat. ] Hæ lacrymae suauiter fluunt, & non coactæ, sed spontaneæ decurrent, quæ licet solas genas tangant, nec si quomodo animam a fôrdibus, si qua remanserunt, lauant, & interiora nostra, ut vireant, ut florant, & ut fructifcent, rigant. Et quidem licet lacrymae istæ sint aquæ, non tamen resoluuntur nisi ad præsentiam ignis intus ardentes, & iustum interiora tremant, de quibus dictum est in Isaia: Aquæ ardentes igni. ] Nam cum illa defluunt, perfectæ animæ cogitationes succenduntur, & nullam requiem sustinentes, ad alta & excelsa cogitanda mouentur. Desideria ardentes, & inquieta conuolutio-ne interdum ad ea bona, quæ aliquando erunt, non numquam verò ad ea, quæ numquam erunt, appertenenda, & cupienda feruntur. Et voluntas his desideriis velut carbonibus inflammat, omnia caduca respuit, vniuersa terrena reicit, & solum Deum sicut causam sua dulcissimam exultationis admittit. Ex voluntate etiam, (quæ ad spiritum pertinet) in cor carneum ignis iste deriuatur, aut saltē in illud amoris sensibili scintilla resultat, quæ cor ipsum dilatat, inflamat, mouet, & quod in eo vile & abiectum est, mirabiliter celeriter consumit. Audi Davidem huic cordis inflammationi testimonium perhibentem: Quia inflammatum est cor meum, inquit, & renes mei commutari sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui. ] Quoniam igne, ô sancte propheta, cor tuum inflammatum est? Certè charitatis igne, quia dum Dei mei gesta cogito, & Domini mei perfectiones considero, amore flagro, & ut ingesta suauitatis exstuo. Et quomodo renes tui commutati sunt? Ita quidem, ut affectus mei, qui prius ut equi effrænes post malum properabat, iā habenis charitatis gubernati, post bonum currat, & ad id quod sanctum est, velocissimo cursu festinat. Et quanà ratione ad nihilum redactus es? sic profectò ut omne humanum, omne scilicet, quod veteris est hominis, in me pereat, & omne diuinum, quod Christo cognatum est, eius spiritu flante consurgat. Quare tandem nesciisti? Quia iuxta illud, quod Paulus post modum dicturus erat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc faculo, stultus fiat, ut sit sapiens. ] Christi crucem (quæ vera sapientia est) firmiter elegi, & mundi sapientiam reprobaui. Ita bona sequitur, cum cor in viris perfectis hoc celesti amore inflammat, & sanctorum affectuum iteratione succendit. Quid plura? Ignis iste nonnumquam ad facie exit, & per mortales artus serpit, & aliquod sui signum in corporibus contiguis producit. Nam & sepè perfectorum viorum facies ruber, corpus caler, manus, & pedes ardentes, non tanquam naturali calore quām ardore orationis in corpus prodeunte, & feroce virtutis. Multa huius rei exempla possem adducere, si re autem tyrunculus noua, vnum aut alterum non praetermittam. De beatissimo abbate Bernardo, quem ab incunabulis patronum mea parvitas elegi, hæc scripta lego: Apparebat in carne eius gratia quadam, spiritualis tamen potius quām carnalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena vires, sed celestis: in oculis Angelica quadam puritas, & colubina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, ut evidenteribus quibusdam indicijs foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis, & gratiæ, copiosè perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum & sine carnibus erat, ipsa etiam subtilissima cutis in genis modice rubes. Illi nimis

Isaie 64.

Psal. 72.

I. Cor. 3.

Lk. 3. 10.

14. C. 1.

quicquid

Cant. 5.

Psal. 118.  
Psa. 104.Greg. in  
cant. 5.

In vita.

In vita. e.  
13.Greg. T. 4.  
mor. c. 3.Psal. 38.  
Theodorus.  
oratione  
de charita-  
tate ad fi-  
nem his-  
toriorum.

quicquid caloris inerat, affida meditatio, & studium sacræ compositionis attraxerat. ] Dominicus inter missarum solemnia Christum eleuans, in altum tollitur, & ab igne, quo intus ardebat, corpus eius subiectum, veluti in ignem conuersum, terram deserens in cœlum ferebatur. Franciscus ab illo seraph, qui sibi in monte apparuerat, mirabilem in mente, ut Bonaventura ait, recepit ardorem, & in carne non minùs mirabilem admisit effigiem, vt iam non tam terrestris homo, quām cœlestis nuncius, & imago crucifixi credereur, de monteque descendens, quinque Salvatoris vulnera, & quinque ignis charitatis vestiones deculpi, ut earum ostensione vniuersum mundum admiratione completeret. Demum Nicolaus Factor, huius sancti patris alumnus, quadam die ad orandum gelidum stagnum ingressus, ardore mentis primum corpus suum, deinde ardore corporis ita aquam gelidam calefecit, ac si ei vortices essent ignis subiecti. Hæc omnia rara sunt, sed alia in viris perfectis inueniuntur, sicut minus rara, ita non tam mirabilia, quæ indicia sunt interni amoris, quo non solum Deum amant sed ardent, & vi inflammat amoris. Verba enim illa potentia, & sine vlo nitore, sine villa eloquentia proleta, quæ audientes ad amorem virtutis accendunt, quid sum nisi scintilla, ex interiori amoris igne resultantes, quæ satis aperient, cor illud, vnde exiunt, non esse frigidum, sed charitatis igne succensum? Iste est ignis, qui sanctorum corda vrit, interiora depascit, & corpus ipsum interdum purum, & agile ad omne opus virtutis efficit. Vnde sicut impij habent ignem suum, vt Gregorius annotauit, flamam scilicet desideriorum temporalium, qua mundum in modum cruciantur, ita sancti habent ignem suum, nempe ardorem amoris, & flamam desiderij celestis, qua mirabiliter voluntate perfunduntur.

At quonam instrumento sancti hunc in se ignem accendent, & hunc mirabilem ardorem exsuscitant? Certè non uno instrumento, sed multis: nempe diligentissima sui ipsorum abnegatione, virtutu omnium exercitatione, vita puritate, sed præcipue affida oratione, & iugis diuinarum rerum contemplatione. Oratione namque peti hunc ignem, & hanc flamam efflagitat; petit, & accipit, & secundum desiderium suum mentem, qua frigida ingressa est, non frigidam, sed calentem, & ardenter dimitit. Contemplatio vero illam immenam Dei pulchritudinem internis presentat aspectibus, quam perfecti viri conspiciunt ( vt in hac vita mortali conceditur ) liquidum puri sunt, & ad amandum expediti, non posse non diligere, & eius desiderii inflammat. Hoc autem esse efficacissimum excitandi huius ignis instrumentum David ipse testatur, dum ait: In meditatione mea exardescit ignis, ] & Theodoretus egregie in hunc modum exprefit. Is ( & loquitur de amore erga Deum ) eos alit, & rigat, & amicit, & dat pennas; & edocet volare, & efficit, vt cœlum transcendant; & eum, qui amat, quo ad eius fieri potest, ostendit, & visione contemplationis incendit desiderium, & excitat amatorum, & flamam accedit ardorem. Quomodo enim iij. qui amant corpora, & aspectuorum, qui amantur, præbent amori materiam, & illud auctri reddunt vehementius: ita iij. qui accipiunt stimulus diuinæ dilectionis, diuinam illam, & quæ numquam interit, visione apprehendentes pulchritudinem, efficient acutiores aculeos dilectionis, & quo magis frui desiderant, eo magis expellunt satietatem. ] Et paulò post: Quomodo ignis quod plus accipit nutrimenti, eo maiorem accipit operationem, ea enim accessione materia augetur, non obtunditur: ita in Deum dile-

A ctio acceditur diuinorum rerum contemplatione, & operationem hunc suscipit maiorem, & vehementiorem: & quod magis in rebus diuinis versatus quis fuerit, eo magis accedit flammam dilectionis. ] Qui itaque frigidū sumus, & numquam hunc amoris ardorem, quem sancti, & perfecti sentiunt, meruit experiri, ad illum accipendum nos constanter prepareremus. Discendant à nobis imperfectiones, abeant virtus, quæ nos à praesentia Dei increati ignis elongant. Mortificemus affectus, & passiones nostras, que nos frigore, & humore replent, & velut ligna humida & indisposita ad charitatis ignem suscipiendum efficiunt. Clamemus, gemamus, fleamus, & postulemus, vt ignis descendat de cœlo, qui non ad vindictam, sed ad misericordiam comburat nos, subiçiamus sanctarum meditationum stipulas, & attenta contemplationis statu focum nostri cordis sufflemus, sic fieri, vt iste amoris ignis accedatur, ardor affectus exciteretur, & desideris flamma consurgat. Hæc quicquid in nobis prauum est, destruet quicquid fœdum emundabit, quicquid abiectum eleuabit, & quicquid rigidum inflectet, vt sancto ardore emollii Christi figuram suscipiamus ( qui exemplar est perfectionis ) & post istud exilium in eiusdem gloriam transformemur.

*Quod Deus potentissime perfectos ad bonum roboret.*

## CAP VT XXVII.

**D**EPPOSITVM simile Solis, & prouidentia diuinæ erga perfectos ad hoc prosequamur, quod horum diuinias & felicitatem amplius paret faciet, & diuinæ misericordiæ affluentiam circa illos, qui se totos Deo consecrarent, clarus & illustrius nostris obituibus offeret. Sol non sola luce, & calore ( vt suprà dicere coepimus ) inferiora corpora fouet, sed & abditissimo influxu eadem generat, conferuat, atque gubernat. Nam & ad viscera terra, quibus nec lux eius, nec calor appropiat, aliqua ipsis virtus penetrat, quæ aurum & argentum & alia metalla producat. Sic prouidentia Dei præter lucem, qua perfectorum intellectus illuminat, & præter charitatis ardorem, quo corundem voluntates inflamat, alios innitit gratia se quodammodo abscondentis, & quodammodo monstrantis, influxus, quibus eos mirificè iuuat, & fortissime roborat, vt quod mente cognoscunt, & desideriis amplectuntur, opere quoque, & vita perficiant. Merito autem hos solis iustitia influxus aut hæc gratia superfluentis auxilia, post lucem & calorem commemoramus quia, vt inquit Bernardus, cognitio, quæ ad lumen, & devotione, quæ ad calorem pertinet, sunt veluti duo pedes, quibus innititur anima, vt bonum faciat, & malum vitet, & in sanctitate persistat. Quod dictum est, non quia illa duo, cognitio, & devotio, ad bonum faciendum, & malum vitandum, & perseverandum sufficient, sed quia illa bonam actionem præcedant. Non, inquit, sufficient, quoniam sicut aliud est, bonum luce nobis data cognoscere, & aliud, idem bonum devotione, & propria tudine voluntatis appetere, & aliud quod cognoscimus, & concupiuimus, actione prestat, ita aliud auxiliu gratia nobis datur, vt bonum sciamus, aliud, vt bonum appetamus, aliud verò, vt bonum opere, & vita præstemos. Quantum ergo sit hoc auxiliu gratia sanctis, & perfectis datum, vt bonum cognitione & amarum faciant, quis sufficer explicate? Quis diuinas gratias his beatis hominibus à Domino myrutas

Bern. ser.  
83. in c. 3.